

LAVRENTII VENTV-  
RÆ VENETI, ARTIVM ET ME-  
DICINÆ DOCT. DE RATIONE

conficiendi Lapidis philoso-  
phici, Liber.

QVOD ARS ALCHEMIÆ  
est Vera.

CAPVT I.



ULTI opinantur, artem Alchemiæ non esse ar-  
tem veram: ad quod mouentur duobus funda-  
mentis. Primo, quoniam dicit Aristoteles in li-  
bro 4. Meteoror. Sciant artifices Alchemiæ, spe-  
cies metallorum transmutari non posse. Secundò, quia vi-  
dent omnes laborantes in hac arte, non nisi sophisticas face-  
re transmutationes, & neminem veras: quapropter existi-  
mant & credunt, quod cum à nullo fieri vident, verè & reali-  
ter à nullo quoq; fieri posse. Sed neutrum horum fundamē-  
torum cogit artem hanc pretiosissimam & excellentissimam  
non esse veram. Non valet etenim primum aduersariorum  
fundamentum: quoniam bene verum est, vt dicit philoso-  
phus Alphidius, ac Rosarius maior; Quod species rerum  
non transmutantur, sed bene indiuidua quarundam specie-  
rum ad inuicem transmutari possunt. Et patet hoc ad ocu-  
lum, præsertim in his quæ habent symbolum ad inuicem in  
vna vel in duabus qualitatibus, vt constat in elementis, &  
sic ex terra fit lapis, & ex ligno cinis, & ex cinere & lapidibus  
vitrum, &c. Sic quoque accidit in metallis: quoniam omnia  
metalla communicant in vna materia, quæ est argentum  
vium cum suo sulphure. Et solum differunt metalla per ma-  
iorem vel per minorem digestionem, quæ fit per sulphuris  
sui maturationem, mediante decoctione. Est enim sulphur  
forma metallorum, & præsertim auri: non quidem sulphur  
vulgi, sed alteratum, vt dicit magister Bonus philosophus.  
Ex his dictis colligitur, quod si per artem potest fieri medici-  
na, quæ habeat in se virtutem & proprietatem prædicti sul-  
phuris mineralis alterati, talis medicina ab arte facta, pote-  
rit

Solutio primi ar-  
gumenti qd alchi-  
miam.

Differentia me-  
talloz.

nota hooz forma.

